



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum orario Christi semper fuerit exandita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

2.

Resp.
Christus
orando ali-
quid petijt.Luc. 22. &
23.
Ioan. 17.
Hebr. 5.Al primam
rationem du-
bitandi.

3.

Oratio fuit
Christo ne-
cessaria ex
diuina or-
dinatione.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Ioan. 11.

Ambros.

4.

Ioan. 11.

Oratio etiam
ad exemplum
nostrum.

poscebat. v. g. ob eam causam precabatur ut se impium
quendam Deique aduersarium minime esse demonstra-
ret, atque ut Patrem à quo originem ducebat, honore af-
ficret.

Verum ex scriptura constat non solum gratias
agendo & Deum laudando orasse, sed etiam pe-
tendo. Patet ex Lucæ 22. vbi dicit Petro: ego au-
tem rogavi pro te ut non deficiat fides tua. cap. 23. orat
pro crucifixoribus. Ioannis 17. orat pro disci-
pulis. ad Heb. 5. in diebus carnis sue, preces supplica-
tionesque ad eum qui posuit illum saluum facere à morte,
cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est
pro sua reuerentia, & ita communissimè tenent Do-
ctores. itaque

Ad argumenta in contrarium allata Resp. Ad 1.
Christum quidem omnia per se potuisse; cum
enim esset Deus equalis Patri, poterat secundum
diuinam naturam quicquid potest Pater; tamen
secundum naturam humanam non omnia potuisse,
& quod potuit, potuisse per media à Deo ordi-
nata, inter quæ vnum fuit oratio.

Nec refert quod opera eius infiniti valoris pos-
sent sese extendere ad quilibet mercedum: quem-
admodum enim eo non obstante ad redemptionem
generis humani mors eius fuit necessaria propter
diuinum decretum, ita non obstante eadem in-
finitate operum, oratio ad quædam fuit necessaria
propter idem decretum, Deo scilicet ordinante ut
non nisi mediante oratione aliqua faceret; quam-
uis ergo diuina virtus eius humanitati assisteret
ad ea quæ fini Incarnationis erant conuenientia,
non tamen semper assistebat ad ea patranda sine
interuentu orationis.

Ad 2. Resp. Christum sciuisse quidem futurum
quod per suam orationem erat petiturus, sed sci-
uisse id futurum interuentu suæ orationis; quod
non tollit conuenientiam & vtilitatem illius, ut
ex se patet. et enim notitia ex suppositione ipsius
met orationis futura.

Ad 3. Resp. Chrysostomum non velle negare
Christum secundum humanitatem orasse; sed pri-
mo non orasse secundum naturam diuinam, &
secundum eam doctrinam aptare aliqua scripturæ
loca; ut illud Ioannis 11. ego autem sciebam quia sem-
per me audis. ita verò explicat ut respondeat Arianis
ex his & similibus locis contendentibus Filium
esse inferiorem Patri etiam secundum diuinam
naturam, quia eum orat; ut inquam respondeat,
docet hoc loco non designari Christum orare
Patrem, sed conformitatem Patris & Filij. Idem
dici potest de Ambrosio lib. 4. de fide cap. 3. Se-
cundo non orasse ex indigentia personæ, quod ve-
rum est, ut ex dictis patet; quamuis verè secun-
dum humanitatem orauerit. Idem est sensus Quo-
rundam aliorum Patrum.

Ad Damascenum dico eum non negare quod
Christus vere oraret, neque ad hoc referre si-
mulationis modum, sed solum in eo quod cum
persona ipsius esset Patri equalis & æquè potens,
se se gesserit tanquam inferior, sicut licet esset om-
niscius, se gessit ut ignorans quo loco positus esset
Lazarus, quando quesitum, vbi posuisset eum.

Verum orauerit Ioannis 11. & petierit resusci-
tationem Lazari disputant aliqui Doctores. Ve-
rùm licet negaretur ibi orasse, nihil contra reso-
lutionem facit; neque enim asserimus semper in-
terposuisse orationem in miraculis patrands, sed
solum interdum non sine illa aliqua obtinuisse.

Præter fines enumeratos Christus per suam ora-
tionem nobis præbuit exemplum quomodo tum

pro nobis, tum pro alijs debeamus frequenter ad
Deum per orationem recurrere: quam ob causam
aliqui dicunt quod propter nostram instructio-
nem orauerit; quamquam illa non fuerit sola &
adequata causa.

ARTICVLVS II.

Virum Christo conueniat orare secun-
dum sensualitatem.

RESPONDET non orare secundum sensua-
litate: desiderium tamen partis sensitivæ
per orationem explicuisse.

Prius patet ex eo quod oratio sit actus rationis,
Posterius patet ex oratione fusa in hortio.

Tres causas huius orationis ponit S. Thom. 1. Cause or-
tationis in
ostensionem naturæ humanæ in Christo. 2. ut or-
stenderet quod liceat homini secundum natura-
lem affectum aliquid velle quod Deus non vult,
scilicet secundum ipsum materiale. 3. ut ostende-
ret quod homo debeat sese diuinæ voluntati sub-
mittere.

ARTICVLVS III.

Virum fuerit conueniens Christum pro
se orare?

AFFIRMAT. patet ex oratione fusa in hor-
to, & alia Ioannis 17.

ARTICVLVS IV.

Virum oratio Christi semper fuerit
exaudita?

AFFIRMAT.
Notandum varios sentire non omnē Christi
orationem fuisse exauditam, sed solum eam quæ
ex voluntate efficaci processit respectu eius quod
petebat per orationem; quemadmodum voluntas
Christi inefficax non fuit impleta, ut supra q. 18.
diximus, ita dicunt orationem quæ processit ex
huiusmodi voluntate non fuisse exauditam: posse
autem orationem procedere ex voluntate ineffi-
caci videtur probari, ex eo quod oratio sit mani-
festatio desiderij; desiderium autem potest esse in-
efficax. Confirmari potest hæc sententia ex ora-
tione Christi Matth. 26. Pater mihi si possibile est, tran-
seat à me calix iste.

Verum contraria sententia videtur omnino S.
Thom. hic in corpore vbi dicit, secundum autem
voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit nisi quod
seini Deum velle, & ideo omnis absoluta voluntas
Christi etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo confor-
mis, & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita.
Vbi duo indicant. 1. omnem omnino Christi ora-
tionem fuisse exauditam. 2. huius rationem, quod
scilicet omnis eius oratio processit ex volunta-
te absoluta.

Respondet Lorca disp. 80. illud, & per conse-
quens, non continere consequentiam vllam, &
per hoc non designari ex eo quod voluntas Chri-
sti absoluta sit impleta, sequi exauditam oratio-
nem; sed S. Thom. solum designare similitudinem,
seu simili modo exauditam orationem, scilicet

eam

cam que processit ex voluntate efficaci.

Verum id videtur minus probabiliter dictum, 1. quia in omni proprietate illa particula, & per consequens, designat id cui applicatur deduci ex alio. 2. id omnino videtur postulare discursus S. Th. qui aliis parum videtur sibi coherere. 3. non apparet vbi respondeat ad questionem in articulo propositam, nisi in illis verbis: ijs autem significat omnem orationem Christi esse exauditam, idemque indicatur in solutionibus argumentorum.

Et hanc sententiam tenet Vasquez disp. 82. cap. 5. Becanus cap. 17. q. 3. & probabilem censet Lorca disp. cit. quamvis alteri adhaereat.

Hec sententia videtur probabilior. Prob. omnis oratio Christi processit ex voluntate absoluta, ut indicat S. Th. ergo semper fuit exaudita. Antecedens prob. 1. nullus petit ab alio nisi id quod cupit obtinere, & quod omnino fieri desiderat; ergo oratio Christi processit ex voluntate absoluta. 2. nullo modo videtur dicendum quod Christus per orationem petierit id quod omnino videbat non futurum. Ex his patet responsio ad rationes alterius sententiae.

Ad locum scripturae Resp. verba relata non continere totam Christi orationem, sed iuncta cum verbis sequentibus, *verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, unde quoad formam orationis fuit exauditus, quamvis in oratione aliquid contineretur in quo declaravit suum desiderium per modum naturae & simplicis affectus, quod non est consecutus.

Simili modo potest intelligi quod habetur psalmo 21. *Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte & non ad insipientiam meam*, quae verba accipiuntur tanquam dicta de Christo: possunt inquam intelligi ut referantur ad aliquam partem orationis in qua Christus naturalem effectum declaravit, non vero ad totam orationem.

Dices Christus oravit pro crucifixoribus Lucae 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*; pro quibus tamen non est exauditus.

Resp. negando posteriorem partem assumpti, quia tali oratione solum petijt gratias cum quibus possent converti, in quo fuit exauditus. videtur potest alia solutio apud S. Thom. responsione ad 2.

D V B I V M.

Utrum Christus iam in caelo proprie oret pro nobis?

Quod aliquo modo dici possit pro nobis orare, certum est, & patet ex varijs scripturae locis: ad Rom. 8. *Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. ad Heb. 7. *semper vivens ad interpellandum pro nobis*. 1. Ioannis 2. *si quis peccaverit ad fratrem suum habemus apud Patrem Iesum Christum*.

Porro dupliciter concipi potest orare, vno modo interpretatiue eo quod eius sanguis & merita sint Patri praesentia, eumque flectant ad misericordiam. 2. proprie aliquid pro nobis petendo. Controvertitur à Doctores utrum iam oret pro nobis solum modo, an etiam posteriori qua de re duae sunt sententiae.

Prior negat proprie orare. Tenet Medin. hac quaest. artic. 1. dub. 3. cui videtur suffragari Aluarez eodem art. tenet etiam Vasquez dispu-

tat. 82. capit. 2. Becanus capit. 17. quaest. 4.

Posterior affirmat. hanc longè communius tenent Doctores Scholastici, cui etiam adherent varij scripturae interpretes; estque S. Thom. in 4. distin. 15. q. 4. art. 6. quaestiuicula 2. ad 1.

Hec sententia videtur probabilior: quia videtur conformior scripturae, quae in proprietate sermonis significat Christum etiam post resurrectionem proprie pro nobis orare, ut circa illum locum ad Rom. notant Estius & Cornelius; & idem Estius circa locum ad Heb. Fauet etiam quod habetur Ioannis 14, ubi Christus ait: *ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*; quod, ut potest colligi ex antecedentibus, videtur referri ad tempus post resurrectionem, cum loquatur de sua ad Patrem ascensione.

Eadem est sententia variorum Patrum, Iustini q. 105. ad Orthodoxos: *si enim carnis imbecillitatibus superior resurrectione effectus, tamen uti confessionis nostrae pontifex pro nobis loquitur & rogat; quantum magis cum etiam tu corporis imbecillitatibus esset obnoxius magno clamore & firmo atque lachrymis rogebat, cum quibus preces ei qui se liberare à morte posset, offerret*.

Cypriani epistola 52. seu lib. 4. epistola 2. post medium, qui pro voce, *proptinatio*, 1. Ioannis 2. ponit deprecatio.

Augustini in praefatione enarrationis 2. in psalmum 29. dicentis, *& Verbum caros factum est & habitavit in nobis. Habes maiestatem ad quam ores, habes humanitatem qua pro te oret: nam hoc dictum est ab Apostolo etiam post resurrectionem Iesu Christi, qui sedet inquit ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. quo loco Aug. videtur eodè modo tribuere Christo orationem post resurrectionem quo ante, imò eodè modo quo nobis, atqui constat proprie nobis tribui orationem, similiter & Christo ante resurrectionem.

Gregorij in psalmum 5. poenitentialem paulo post initium. *quotidie orat Christus pro Ecclesia, de qua testatur Apostolus Paulus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis*.

Nec videtur repugnare idem Gregorius lib. 22. cap. 13. alijs 18. dicens, *interpellatur pro nobis dominus non voce sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberauit*. 1. quia non solum loquitur de oratione in caelo, sed etiam in hac vita. 2. ut de illa ageret, ut summum solum excluderet orationem vocalem, quam tamen non excludit, sed solum vult quod non tam voce quam miseratione interpellat. Plures Patres pro eadem sententia passim citantur, qui apud alios videri possunt.

Pro priori sententia (quae sua probabilitate non caret) potest obijci, quod Christus Ioannis 16. dicat, *& non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*.

Resp. hinc non effici Christum non orare proprie post resurrectionem; quia in praedicta sententia solum vult, si quid petant discipuli in nomine Christi eos facile exaudiendos, eo quod Pater illos amet, nec opus habeant alio apud eum intercessores ut nimirum eos consoletur de suo discessu tristes. videri potest Cyr. lib. 11. in Ioannem.

Ultèus dico hinc potius colligi quod Christus pro illis sit intercessurus, quia consimili forma inlinuamus nos id facturos quod videmur negare; hac enim ratione volendo aliquos excitare ad concipiendam spem de alterius benevolentia, dicere solemus, non dico quid in hac re praestabo. in qua loquendi forma indicamus nos iuxta negotij qualita-

Becan.

10.

Affirmans est communior & verior. S. Thom. Prob. 1. ex scripti.

Ioan. 14.

Secundò ex Patrib. Iustini.

Cyprian.

II.

August.

Greg.

12.

Obiectio. 1. ex script. Ioan. 16.

Resp.

13.
Obiectio 2
ex PP.
Resp.

qualitatem etiam nostram operam collocaturos.

Obijci possunt 1. varij Patres, qui videntur docere Christum in caelo non propriè orare.

Verum licet fortè pauci id velint, de varijs tamen citari solitis id non potest dici. 1. quia licet aliqui videantur dicere quod orat pro nobis ostendèdo cicitates &c. non tamè negant alium modum, imò possunt commodè intelligi quod etiam comprehendant, & quod non velint Christum sine actu explicito censei illas repræsentare, sed petendo & explicando desiderium, vt per sua merita id nobis concedatur quod petit.

2. Quia plerique solum negant Christum iam orare in caelo eo modo quo solebat orare dum in hac vita mortali versaretur, nimirum cum signis humilitatis sese prosternendo, lachrymando &c. his vel similibus modis explicari possunt varij Patres attento eorum scopo.

Obiectio 3.

Obijci potest 3. quod Christus in passione consummauerit opus nostræ redemptionis, & quod post illam non amplius mereatur, ergo non est dicendus propriè orare. Conseq. prob. neque dici debet orare vt quidquam de nouo mereatur, neque vt eius merita applicentur, cum etiam ante passionem sit promeritus suorum meritorum applicationem; ergo frustra dicitur orare.

Resp.

Resp. concessio antecedente negando conseq. si enim eo non obstante quod opus nostræ redemptionis consummauerit in passione, dici possit interpretatiuè orare & interpellare, & Pater intuitu talis interpellationis aliqua concedat; quidni dici potest etiam expresse orare?

14.

Christus
nihil meretur de nouo.

Ad probationem consequentiæ Resp. non mereri quidquam de nouo, sed per orationem petere illam ipsam applicationem quæ meruit, & ita petere id quod meruit in passione. quamuis autem talis oratio non esset absolute necessaria, non est tamen inconueniens; quia Christus per hanc & ostendit charitatem in genus humanum, & submisionem erga Patrem, seu quod natura humana in illo sit Deo inferior.

Dices Christus per orationem impetrat, ergo meretur.

Resp. negando conse. q. si propriè loquamur de merito: quia communi iudicio ratio impetrationis in oratione distinguitur à ratione meriti, & impetratio propriè non est acquisitio præmij, sed obtentio beneuolentiæ.

Dices sancti in caelo orantes merentur de congruo.

15.

Ne de congruo quidem.

Resp. nisi sit quaestio de nomine, posse negari, si quis tamen de illis ita loqui velit, non est ita loquendum de Christo, cum dedecet illi tribuere meritum de congruo; secus est de impetratione, quæ potest illi tribui, & in omni sententia tribuitur saltem pro tempore quo in hac vita versabatur, quia illa potissimum nititur amicitia petentis.

Obiectio 4.

Resp.

Obijci 4. quod Christo post resurrectionem data sit omnis potestas.

Resp. eam datam esse ante passionem, quæ non obstante si non fuerit indecens illum orare, non dedecet vt orat post resurrectionem, nec ita omnia sunt illi tradita, vt non semper maneat sub potestate Patris quoad humanitatem, & vt non possit illum orare, & petere varia quæ ad salutem hominum pertinent.

Obiectio 5.

Responso quadruplex

Obijci 5. ex 2. sententia sequi quod possimus petere à Christo vt orat pro nobis, quod nullo modo videtur concedendum.

Resp. id neq; magis sequi, neque maius adferre

incommodum quàm sequatur ex eo quod oraret dum in hac vita versaretur; & quod in eo casu dicendum est, in præsentia similiter dici posse.

Resp. 2. nullo modo ita fieri posse, vbi esset periculum erroris Arii vel Nestorij.

Resp. 3. neque debere fieri in oratione publica quæ sit nomine Ecclesiæ, quia in illa consuetudo Ecclesiæ est in contrarium, quæ omnino est seruanda.

Resp. 4. etiam in priuata oratione omnino decentius esse vt non ita oremus; quia oratio dirigitur ad personam Christi, & per consequens ad diuinum suppositum, cuius non est orare, sed misereri. Præterea quando principes compellamus & aliquid ab eis petimus, filios honoramus excellentiori titulo eis conueniente, & proinde debemus etiam Christo tribuere quod perfectius est. si quis tamen bene norit distinguere & apprehendere Christum vt hominem secundum quod est minor Patre, & eundem Patrem potest orare; is potest petere vt Christus suas orationes Patri offerat.

QVÆSTIO XXII.

De sacerdotio Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christo conueniat esse sacerdotem?



FFIRMAT: quod intelligitur de sacerdote propriè dicto, pro quo

Notandum licet sacerdotis varia sint officia, vt patet ex Apostolo ad Heb. 5.

& ex S. Thom. hic, primum tamen eius munus esse offerre Deo sacrificium. Porro nomen sacrificij dupliciter sumitur: semel generatim & im-

propriè, de quo pluribus locis scripturæ agitur psalmo 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* psalmo 50. *Holocaustis non delectaberis.* sacrificium Deo spiritus contritus, & alibi, de quo etiam intelligitur quod

habet August. de ciuitate Dei cap. 6. dicens, *sacrificium esse omne opus quod agitur in sancta societate in-*

hercamus Deo, velatum ad illum finem bonum quo beati veraciter esse possumus. In qua significatione omne opus virtutis siue internum siue externum, sacrificium dici potest. Huic sacrificio respondet sacer-

dotium generale commune omnibus Christianis, de quo intelligitur B. Petrus cap. 2. prioris suæ epistolæ vocans omnes fideles *sacerdotium sanctum*; item, *regale sacerdotium.* De quo etiam aliqui accipiunt id quod habetur Apoc. 1. *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo*, quamquam Ribera ibi aliam habeat sententiam.

2. Sumitur sacrificium propriè, cuius rationem explicamus q. 83. art. 1. dub. 1. cui respondet sacerdotium propriè dictum, quod est potestas quædam offerendi sacrificij prout est, quid distinctum ab alijs virtutum operibus.

De sacerdote propriè sumpto intelligitur resolutio S. Thom. quæ est de fide, psalmo 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* quod iuxta communem expositionem intelligitur de Christo, ad Heb. 4. *habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos Iesum Filium Dei.* Idem patet ex cap. 5. 7. 8. & 9. eiusdem epistolæ, ex Concilio Ephes. can. 10. Trident. sess. 22. capit. 1. & 2. estque communis doctrina Patrum.

Prob.